



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. X. Quæ comitentur necessariò corpus, vbicumque ponatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

illas non addantur nouæ vires subiecto, sicut etiam in contrariâ opinione non adduntur, quantumvis in hoc eodem spatio imaginario Petrus habeat plures vbicationes distinctas. Ad ultimâ probationem, desumptam ex eo, quod non sint contradictoria, *Petrus hic amare, & Romæ non*, facile respondetur, Petrum hic amare non verò Romæ, nihil esse aliud, quàm hic existere simul cum illo amore, Romæ autem non existere eius amorem, ad quod non requiritur maior virtus in Petro, sed præcisè ut Deus nolit ponere amorem in duobus locis, sicut ponit Petrum, quod de facto cernitur in animâ rationali existente in pede & in capite, cum tamen amor & cognitio in solo capite resideat. At odium & amor opponuntur per suas positivas entitates in ordine ad idem subiectum pro eodem tempore, ideoque non possunt esse simul cum illo etiam in diuersis locis; & maius est, Romæ odio habere quàm non amare: nam in odio haberi includitur non amare & aliquid amplius, scilicet odium, quod repugnat amori hic existenti. Vbi aduerte, contra aliquos, etiam si anima eadem Romæ non habeat cognitionem quam habet hic Pragæ, non propterea illam Romæ ignorare quod hic scit: cum enim illa sit eadem formalissimè anima quæ est etiam hic, inde euidenter fit, ut si hæc scit quæ hic sunt, etiam anima Romana eadem sciat, licet ibi non habeat cognitionem, sed hic. Quare si Romæ interrogaretur, quid sciat de illo obiecto, illa responderet, Hoc obiectum à me cognoscitur Pragæ; & ego illi ibi merito assentior. Vnde tandem sequitur, eos non posse eidem ibi dissentire, sicut nec ibi amare, & hic illud idem odio habere. Quæ etiam in ordine ad Deum locum eodem modo habent: non enim potest anima ea Romæ existens esse Deo grata, & ab illo amari, eadem autem simul & semel Pragæ odio haberi; haberet namque simul Deus idem omnino obiectum odio & amori, nam vbicationes animæ non terminant villo modo odium vel amorem Dei. Sicut ob eandem rationem non potest Deus de facto amare animam iusti quæ est in capite, ubi habet sibi vnitam gratiam, & eandem animam, non habentem in pede aut manu eam gratiam, odio habere vel non amare: cum vna sit formalissimè idem cum alterâ.

SECTIO X.

Quæ comitentur necessariò corpus, vbi cumque ponatur.

140 **PRIMA CONCLUSIO.** De potentia absolutâ non est necesse, ut vtrouique habeat omnia, aut aliqua accidentia, quæ habet in vno loco; potest enim carere omnibus Romæ, quæ habet Pragæ. Probatur, quia si ob aliquam causam id repugnet, maximè, quia sequeretur idem corpus habere & non habere ea accidentia; sed hoc non sequitur, ergo. Probo Minorem, quia ut dicatur *non habere illa*, requiritur ut nullibi ea habeat; sicut, ut dicatur absolute anima non habere intellectionem, non sufficit illam non habere in pede, sed ulterius requiritur ut nullibi illam habeat, ergo non sequuntur illa duo contradictoria. Confirmatur, esse ea accidentia Romæ, & non esse Pragæ, non repugnat, nec contradictoriè, imò nec naturali-

ter, ergo neque habere illa Romæ & non Pragæ, sicut non repugnat Christi habere extensionem in cælo & non in Eucharistiâ, item animam habere intellectionem in cerebro & non in pede.

P. Vasquez contrarium opinans dicit, Materiali esse vnitam formæ, est aliquid independens à loco, ergo si alicubi est vnita, necessariò etiam de potentia absolutâ debet esse vbi que vnita. Nego consequentiam, quia illam vniõnem absolui à loco, sufficit ut vtrouique possit poni diuinitus; ut autem necessariò etiam diuinitus debeat poni, nihil efficit: quod patet in cognitione residente cum animâ in solo cerebro, non verò in pede, etiam si cognitio non sit alligata spatio imaginario. Item Verbum diuinum esse vnitum humanitati est aliquid absolutum à loco, & tamen non vbi cumque est Verbum, est humanitas illa vnita; ergo licet accidentia esse vnita animæ, sit aliquid absolutum à loco, non sequitur, vbi cumque est anima, ibi futura ea accidentia. Ratio à priori, quia (ut iam diximus) esse illam vniõnem Romæ, non opponitur contradictoriè nec naturaliter cum hoc, quod est, non esse Pragæ, ut patet in ipsis vbicationibus; neque alligatio ad locum quidquam conducit ad hoc, quia non magis opponitur negatio vbicationis cum vbicatione, eò quod sit alligata loco, quàm si non esset, nec opponitur minus quàm negatio vniõnis cum vniõne; ergo sicut potest poni Romæ vna vbicatio cum Petro, & illa non poni Pragæ; ita etiam poterit qualibet alia forma vel substantialis vel accidentalis aut modalis poni Romæ cum Petro, & Petrus sine illâ Pragæ. Ratio à priori est, quia licet, animam esse vtrumque vnitam accidenti, sit independens à loco, eam tamen esse Romæ vnitam, non est independens, sed omnino dependens à loco; malè ergo ex independentiâ vniõnis à loco ut absolutâ existat, infert P. Vasquez independentiâ à loco, ut ea vniõ sit Romæ vel Pragæ, quod nec aliud est, quàm si in sententiâ ipsius, aientis Angelum esse posse sine omni loco, diceret quis, *Angelus ut existat non pendet à loco, ergo neque ut existat hic, pendebit ab vbicatione hic*, quam consequentiam ipse merito negaret: & in omnium sententiâ, *homo, ut sit, non pendet ab hac vbicatione, ergo neque ut sit hic, pendet ab vbicatione hic*, est valde mala consequentia.

Sed respondet Vasquez exemplo à nobis petito paulò antè ex Verbo diuino humanitati vnito, ita suam doctrinam hic debere intelligi, ut quando subiectum & forma adequatè sunt inter se vnita in loco, tunc vbi cumque est vnum, ibi necessariò debere esse & alterum, non verò, quando solùm inadæquatè sunt in loco; sicut humanitas Christi, quæ solùm est inadæquatè vnita Verbo, quapropter non esse necessariò, ut sit vbi cumque est Verbum. In hac solutione supponit Vasquez id de quo disputamus: quod ut intelligas, aduerte, esse aliquid adequatè in loco cum altero, idem esse formalissimè, ac esse in omnibus locis in quo est illud alterum, & non in pluribus. vnde dicere, *quæ sunt adequatè in loco, debent esse in iisdem locis vnum atque alterum*, idem est ac dicere, quæ sunt in eisdem locis, debent esse in iisdem locis: quod quidem quia verissimum est, non audemus P. Vasquez negare. Sed de hoc disputamus, an quæ alicubi sunt vnita, necessariò vbi que debeant esse vnita, seu (quod idem est)

est) necessariò debeant esse adequatè in loco. Ego nego hoc, & affero evidentes instantias ex animà rationali & Verbo diuino. Quo ergo pacto illis respondes? vel quare dicis, albedinem adequatè debere correspondere subiecto in omni loco, eò quòd sit illi vnita? quandoquidem humanitas Christi Verbo, & actus spirituales animæ non respondeant ipsi animæ adequatè in loco, licet illæ sint vnitæ.

Respondebis: Petrum esse album, est independens à loco. Sed contrà, quia humanitatem esse vnitam verbo, & actus etiam esse vnitos animæ, non minùs est independens à loco, quàm Petrum esse album, quod consistit in albedine illi vnita.

Urgebis: Eò, quòd Petrum esse album non pendet ab eo quòd habeat vel non habeat filium, ridiculum est distinguere. Petrus est albus sine filio, non verò cum filio, ergo cum esse album sit independens à loco, etiam erit ridiculum dicere, Petrus est albus hîc, non verò Romæ. Fateor, Petrum esse album, vt sic, non pendere à loco, sicut nec Petrum existere; verum quando additur, Petrum esse album hîc, quis potest negare pendere ab isto loco? sicut quando dicitur, Petrus existit hîc pendet à loco, licet, vt existat simpliciter, non pendeat à loco? Imò tu ipse, velis nolis, id fateris: dicis enim, si Petrus sit albus Romæ, & ponatur simul alibi, debere etiam produci in albedine ipsius nouam vbicationem in eo secundo loco in quo ponitur Petrus. Inde arguo: Ergo Petrum esse album in secundo loco, non est independens à secundâ vbicatione albedinis; ergo quantumuis, vt absolute dicatur albus, non pendeat ab hac vel illâ vbicatione, vt tamen hîc sit albus, pendet ab vbicatione albedinis. Neque video, cur hæc aut vlla replica habeat minorem difficultatem in animâ rationali, & humanitate Christi, iuxta paulò antè dicta, quàm in Petro vnito albedini. Exemplum de Petro albo cum filio aut sine illo, est omnino extra rem, quia Petrus nec per filium constituitur albus, nec in loco, & sunt prorsus omnino disparata. Quòd si velis illam propositionem copulatiuam facere, *Petrus est albus cum filio*, id est, Petrus & filius sunt albi, tunc produlubidè eius veritas pendebit & ab eo quòd Petrus habeat filium, imò & quòd filius sit albus. Vel si alium sensum illi des, *Petrus albus est cum filio*, hæc pendet ab eo quòd filius sit cum parente. At in nostro casu, licet Petrum esse album non pendeat ab vbicatione, verum cum esse album Romæ, seu cum esse Romæ cum albedine, quod idem est; quis poterit negare, esse dependens ab eo quòd Romæ sit albedo? Sicut in exemplo de Verbo & animâ rationali ad nauseam vsque, sed coactus repetij. Ratio à priori est, quia *Petrus albus* est concretum ex Petro & albedine: potest autem Petrus esse in duobus locis, & albedo in vno, & tunc Petrus non erit vtrobiq; albus; neque maius est totum hoc mysterium.

146 SECUNDA CONCLUSIO. Naturaliter loquendo, non potest vllum subiectum vel forma esse in duobus locis, nisi habeat vtrobiq; naturale suum complementum. Et ratio est, quia quilibet res petat, vt vbicumque sit, sit perfecta & completa. Vnde eo ipso, quòd materia ponatur in duobus locis, debet naturaliter cum ipsâ poni

etiam forma substantiâs: vel si hæc in duplici loco ponitur, debet poni & materia; item passionēs, & alia à quibus subiectum naturaliter pendet, quod videtur denotare Tridentinum sessio-
ne 13. cap. 3. vbi dicit, propter naturalem concomitantiam sub qualibet specie poni animam, corpus, sanguinem, & personalitatem. Sentit ergo Concilium, hæc naturaliter esse connexa in ordine ad omnem locum.

TERTIA CONCLUSIO. Cetera accidentia, aut res vnitæ, quæ non sunt de naturali & debitâ perfectione subiecti aut termini cui vniantur, non necessariò, si terminus in quibus locis ponitur, etiam illa in duobus locis ponuntur, v.g. cognitio, amor, habitus cum animâ. Hoc probatur à posteriori, quia anima licet existat in pede tota, non tamen ibi habet actus cognitionis & amoris, sed solum in capite: cuius ea potest reddi ratio, quia cum sine illis possit connaturaliter anima existere, non est, cur debeantur illi vbicumque sit. Quòd si non debentur, nouum miraculum erit, ponere illa in duplici loco, quia non est ratio petens vt ponantur, & est aliquid resistens, scilicet naturalis incapacitas seu repugnantia cuiuscumque rei ad existendum in duobus locis vtrobiq; talibus. In hoc consensio ex parte P. Suarezio Tomo 3. in 3. Partem disputat. 48. dum ait, quando æquè primò idem corpus in duobus locis ponitur, non esse necessarium vt vtrobiq; eadem qualitates, non pertinentes ad perfectionem naturaliter debitam subiecto, ponantur, sed pendere à volitione Dei quòd ponatur vel non. Addit tamen, si prius extitit corpus in vno loco, & ponitur postea in altero, retento etiam priore, debere secum trahere omnes qualitates quas in primo habebat. Sed hoc vltimum non placet, quia extitisse & non extitisse cum illis qualitatibus antea, omnino videtur per accidens, ad hoc vt debeant poni in duobus locis: neque enim ipsæ qualitates cum subiecto, vel subiectum cum ipsis maiorem habet connexionem. Etiam displicet quod ait, pendere à voluntate Dei, vt vtrobiq; ponatur hæc qualitates, si loquatur de voluntate naturali: quia si semel dicatur, non esse necessarium poni, debet etiam dici, nec posse poni naturaliter; quia illæ duæ vbicationes repugnant per se naturaliter illis accidentibus, nisi sit aliquid quod aliunde eas petat, quod tu iam supponis non esse.

Sed obiicit quis contra Conclusionem: Angelus existens in totâ scholâ naturaliter v.g. non solum habet in vnâ parte illius suos actus intellectus & voluntatis, sed etiam in totâ scholâ; ergo res existens in duobus locis, debet in illis habere omnes qualitates, etiam eas sine quibus posset etiam aliâs naturaliter existere. Sed concessio Antecedente, nego consequentiam. Si intelligatur de re existente miraculosè in duobus locis, concedo autem, si de re naturaliter existente in multis partibus loci constituentibus vnum locum totalem, vt patet in Angelo. Cuius ratio ea reddi potest, nam accidentia subiecti proportionantur cum naturâ ipsius subiecti. Vnde si subiectum naturaliter potest locum diuisibilem occupare, ita vt totum sit in qualibet parte illius loci, sicut Angelus in scholâ, ita etiam eius perfectiones & accidentia poterunt esse & debebunt cum ipso Angelo in totâ scholâ: quando autem positio sub-

iecti in duobus locis non est illi connaturalis, sed potius contra illius naturam (in quo casu solum loquimur in presenti) tunc non, quia Deus velit facere contra naturam subiecti, dando illi duas vbiaciones separatas, idem etiam debet facere contra naturam accidentis, dando illi & alias duas, praefertim quando sine illo accidenti connaturalissime existit subiectum.

150 Sed vrgebis: Anima rationalis naturaliter est in pede & in capite, & tamen non habet in pede secum suos actus, ergo doctrina proximè data nulla est. Sed respondeo, ex ipso exemplo animae rationalis confirmari magis totam meam doctrinam, & eius consequentiam ostendi: licet enim anima rationalis occupet naturaliter spatium diuisibile, sicut Angelus, & ex hac parte posset etiam in pede habere suos actus, & quando est separata, illos habere in toto spatio diuisibili quod occupat; quia tamen illi actus aliquo modo pendunt in fieri à dispositionibus existentibus in capite, idem solum in capite ponuntur, & non tenetur Deus naturaliter supplere illam dependentiam, vt eos ponat vbicumque est anima, quia non sunt è debito complemento animae: ergo similiter, quando ponitur subiectum miraculose in duobus locis, cum obstat repugnantia accidentium ad duo loca, non tenebitur Deus naturaliter istam repugnantiam supplere, vt ea ponat in duobus locis, quandoquidem non sunt de complemento debito subiecti. Angelus autem habet in tota scholâ suos actus, & quia ipse existit naturaliter, & quia illi actus non pendunt à loco, nec habent vllum impedimentum, ne in toto loco connaturali Angelo possint esse.

151 Hic nonnulli, ad explicandam difficultatem hanc, dicunt, quodlibet subiectum in omni loco totali debere habere omnes actus & qualitates, non tamen in omni parte illius loci; sicut vbicumque est domus Regia debet esse cenaculum, non est autem necesse vt in omnibus partibus domus sit cenaculum. Et hoc pacto explicant, quare anima non debet habere etiam in pede suos actus; nam totum corpus est per modum vnius arcis animae: vnde sufficit, si habeat actus in vna parte eius corporis seu arcis. Idem dicunt de vnione ipsius animae existente in pede, & non in capite. Si autem poneretur, inquit hi, in aliquo loco distincto quasi in alterâ domo, ibi etiam deberet habere suos actus.

152 Quod si virgeas, Ergo Angelus existens in scholâ, non necessariò in omnibus partibus illius habebit suos actus; negant consequentiam, quia Angelus ita est in qualibet parte spatij, vt possit ibi manere, etiam si non maneat in alterâ. Hæc doctrina grauis & sine fundamento traditur: deinde impugnat, quia iuxta hanc explicationem, etiam anima rationalis in capite est vt in spatio adaequato, quia potest ibi manere licet pes abscindatur, sicut Angelus in parte scholâ; ergo debet in capite habere quicquid in pede, quod tamen à te & merito negatur; non ergo bona est hæc ratiocinatio de spatio adaequato; melius ergo iuxta à nobis dicta explicatur praesens difficultas.

153 Sed dices contra nos: Verbum diuinum naturaliter existit vbique, & aliunde vnio ad humanitatem non pendet à loco, ergo iuxta ea quae supra dixi, debet habere vbique humanitatem

vnitam. Respondeo negando consequentiam, quia humanitas non petit naturâ suâ vniri cum Verbo diuino, imò hoc illi naturaliter repugnat; supra autem solum diximus, ea accidentia aut quasi accidentia sequi subiectum, & conformari cum illo, quæ sunt illi connaturalia, quia hæc proportionantur cum illo; ergo humanitas Christi, quæ non petit connaturaliter Verbum, non necessariò proportionatur cum illo, & consequenter non est necessarium vt sit vbicumque est Verbum.

Adhuc obieci: Potest effectus poni in duplici loco, quin eius causa existat in vtroque, non enim apparet ratio, cur necessarium sit eam existere vtrouique; ergo poterunt etiam accidentia, quæ dependent à causa existente in vnicò loco, poni in duplici simul cum subiecto. Quod si semel concedatur posse poni, videtur dicendum, & debere propter dependentiam quam habent à subiecto, & propter vnionem cum illo; quo corrumpitur tota doctrina data. Respondeo, etiam si possit effectus existere in duplici loco diuinitus, quin in vtroque existat eius causa, non tamen id posse naturaliter fieri. Si enim subiectum habet naturalem connexionem cum formâ quâ completur, à fortiori eam habebit cum causâ & dispositionibus à quibus producit, & magis pender; ergo naturaliter non poterit esse nisi approximatum causâ, ergo bona est ratio, cur actus nostri in corpore non sint vbicumque est corpus, eò quod aliquo modo pendunt in fieri à dispositionibus quæ sunt alibi.

Rogabis, vtrum corpus existens in duobus locis possit recipere, licet non motus contrarios, vt supra diximus, saltem duos impulsus. Negant nonnulli, quia illud corpus non habet vim vt resistat illi duplici impulsui, ergo non poterit illum recipere; quia si recipit, vel debet moueri ab vtroque, & id repugnat; vel resistere, & ad id non habet vires, ergo. Non acquiesco, quia licet reciperet vtrumque impulsu, & maneret immotum, adhuc ipsum non resisteret, sed Deus, qui vt auctor supernaturalis conseruat miraculose illud vbi: sicut licet papyrus v. g. non habeat vires vt resistat impulsui venti, si tamen ego illam manu teneo, adhuc non mouebitur à vento, me resistente, non ipsâ papyro, impulsui venti; non est ergo cur negetur, vtrouique imprimendum impulsu in illud corpus ab illis duobus agentibus contrariis.

Rogabis Secundò, an, si Romæ esset corpus Petri sine vnione ad animam, Pragæ verò vnitum, esset dicendum mortuum Romæ. Quæstio est de nomine, & parui momenti. Dic quod placuerit; mihi magis arridet modus loquendi negans, eò quod mors absolute significat, non esse in rerum naturâ vnionem animæ ad corpus.

Rogabis Tertiò, an si quis existens Romæ occideretur, deberet etiam occidi Pragæ. Respondeo affirmatiuè, naturaliter loquendo, quia forma cadaueris, quæ in vno loco introduceretur in materiam, deberet etiam introduci in alio, quia materia non posset naturaliter manere cum duplici formâ, scilicet cadauericâ & rationali, neque cum dispositionibus ad illas (vt ostendi paulò antè de omni subiecto) ergo in vtroque loco eandem deberet habere, scilicet cadauericam, quæ introducta est, vt supponimus, Romæ.